

A test vt harum quoq; sanguis exhaustus commisceatur: confusum enim non alter hinc, alter inde contrahitur, quàm oleum ab aqua subducitur, vsque adeò natura ipsa dissident. Quare tibi tria sunt obseruanda eiusdem generis exempla, quorum natura inter se minimè congruat, sitq; pertinacissimæ discordiæ, Salus & Florus, Salus & Asinus, &, de quibus suo loco dictum, Cornix atq; Noctua. Namq; vt nihil est appetentius, nihil rapacius similitum sui, quàm natura, ita etiã dissimilium nihil auersum magis, ac magis abominabile.

DE ARDEA.

EXANGVIS DE NEQVITIA REDDITVS.

Hominem ita libidinis vsu confectum exhaustumq; vt propemodum exanguis sit effectus, ostendere qui vellent Ardeolã illã pelam pingebant, quæ Græcè ἐρωδιός dicitur: ea de coitu ita angitur, vt sanguinè ex oculis emittat, remq; summo cum dolore peragat, clamore vasto atq; admodum insuauit difficultatem attestante. Nomen illi apud Græcos inditum aiunt, ὅτι ἐὰρ ἰσροῖ, nã ἐὰρ quandoq; sanguinè significat. In collectaneis Sudæ Grāmatici dictã volunt παρὰ τὸ ἐν ἔλεσιδιαι τρεῖσιν, q; in paludosis & humidis locis versetur, quasi helodium dicas. Sunt qui eas inter grues recensent: sunt qui similem grui dicant: & diuinarũ literarum interpretes de aue hac, vbi vulgata Psalmorum editio habet, Herodij domus dux est eorum, varia tradiderunt.

TEMPESTAS.

Sed enim D. Augustinus, qui herodium fulicam arbitratur, tempestatis eam simpèdētis signum autumat. Sedenim apud Maronem Ardea & fulica diuersæ sunt volucres, tamen vtraq; sit indicium tempestatis: ait enim,

*Cumque marina In sicco ludunt fulica, notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat Ardea nubem.*

Sed super hac satis est à nobis in Ciconiæ commentario disputatum.

DE CINNAMO.

AROMATARIVS.

Hominem ex aromatum mercimonijs ditescētē significantes. Cinnamonum auem pingūt. Auis ea in Arabia versatur, quæ furculos cinami congerit, ex quibus nidum sibi conficiat, quocirca indigenæ plumbatis eum sagittis decutiūt, mercis gratia: neque aliud mihi super ea compertum est.

DE VELIA.

STVDIOSVS OTII.

Studiosum otij & commodorũ hominem indicare qui volunt, Veliam auem pingunt: ea enim in vmbra & aura æstatem agit, hyemē in apricis: nam & potentes, cum in eos qui otio literario dediti sūt, cauillantur, genus hominum ignauum appellant, quod, vt apud Iuuenalem est, tecto gaudet & vmbra.

DE ASIONE.

IGNOBILITAS.

Ignobilem hominem, atq; vti dici solet, Terræ filiũ, notare si vellent, Aсионem illum pingebāt, qui diuersus à perenni est, corpore pingui & minimè vocali. Nihil enim habetur exploratum de generatione eius, cuiusmodi, qualisque sit: cæterũ Fauonijs tantũ flantibus